

V C
5364



h. 41

P



h. 41, 30

Vc

5364

PARENTALIA ELECTORALIA
ipfa
PROMOTIONIS PHILOSOPHICÆ
solenniori festiuitate
continuat

die V. Calend. Februar. Anno M. DC. XCII.

Phœbus Lipsiensis

Interprete

M. JOH. HEINRICO ERNESTI,

Poet. Prof. Publ.

LIPSIÆ

Literis JOHANN. GEORG.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



VIRIS

*Summè, Maximeque Reverendis, Amplis-
simis, Excellentissimisq̄,
Rectori Magnifico,*

**DN. JOH. BENEDICTO CARP-
ZOVIO, SS. Theol. D. & Prof. P. celeberrimo,
Fac. Theol. Assess. Majoris Principum Colleg. Colleg.
& ad D. Thomæ Pastori.**

Procancellario gravissimo,

**DN. OTTONI MENCKENIO,
SS. Theol. Licent. Moral. Prof. P. celeberrimo, Fac. Phil.
Assess. ut & Min. Princ. Coll. Collegiato & Seniori,**

Decano Spectatissimo,

**DN. VALENTINO ALBERTI,
SS. Theol. D. & Prof. P. Extraordinario, Logic. & Metaph.
Ordinario celeberrimo, Consist. Electoralis & Ducal. Assess. Alumn.
Elect. Ephor. Academiae Decemviro, B. M. V. Colleg.
Collegiato, ejusdemq; ut & Nationis Polo-
nicæ Seniori.**

Solennem servo morem, carmenque legendum
Ecce oculis doctis pectoribusque venit.

Sed non adspicitis solennia gaudia fisti;

Funestis lacrymis cunctaque plena cano.

Quid facerem? fletus mors Principis exigit istos.

Ad Dominum versus compositosque fero.

Quod si Sors solitas porro servaverit artes.

His mutabo iterum fors bona læta metris.



F. N. R. F.

Fleverat HEROIS turbata Academia fatum,
Componunt cineres dum ritibus ossaque justis.
Mœsta at sic nondum luctum consumpserat
omnem.

Utque suos fletus Aula Augustissima seruat,
Regis ad exemplum formataque subdita terra;
Sic etiam ipsa instat, repetens nunc tristia verba,
Ante ea quæ dixit, lacrymas nunc pluribus augens
Jamque iterum visa est lamenta hæc edere Clio:

Desine, Musa, queri tacito per pectora planctu,
Hactenus & nudis visum est quos pandere signis
Campanæ sonitu funesto & vestibus atris,
Atque intermissis factis ad gaudia rebus,
Principis eximmaturo proh funere natos
Communes patriæ, patriamque ardentibus, omnes
Quam capiant, notâ designa voce dolores;
Dum qui nos cruciat mœror vehementius urget,
Condendum patriis tumulis illustreque corpus,
Largius effusis lacrymis fletuque rigamus,
Atque incedentes tristes longo ordine facto
Persequimur, summi per laudes Principis amplas
Composita ad luctum testandum verbaque fiunt.

A

Musa

Musa, agito magnis lugentia dicta querelis
Misce, per tantumque fleas pereuntia funus
Præsidia, acquirit DOMINI quæ bellica virtus,
Quotquot commissos civesque locosque tuentur,
Exitium prohibentque suis miserabile terris,
Duro intentatum meritis non rebus ab hoste,
Justitiæ cui vim, fidei & prævertere mos est
Perfidiam & multo connexas crimine technas.

Austriacam ante omnes immensus concutit Aulam
Planctus profuso fletuque madere videmus,
Moenibus, AUGUSTUM Dominum, qui præfidet
amplis.

Num quæ causa velis tam magni quærere motus?
Est, inquam, Invicto Pietas in Cæsare summa,
Lumina nec propius tangente in funere celsa
Sicca finit, mortemque jubet lugere dolendam,
Quâ firma Imperii vertuntur fulcra sacrati.
Sed simul acceptis meritis mens grata movetur,
Et de sublato ciet altos vindice questus,
Quo Getici veniente cadit vis magna Tyranni,
Fractaque diffugit, concussamque Austria lætis
Auspiciis libertatem reparata resumit:
Sarmaticos metuens nec porro Vienna tumultus,
Augustum expansis reducem complectitur ulnis:
Et quos plena fere summisit Thracia fastu,
Ister cum magno vires terrore revolvit
In patrium rapiens devota cadavera pontum.
Ob similem confusa stupet Germania causam,

Per-

Perfidia in primis Galli pars merſa ruinis,
Seu Rhenus miſeris, Nicrus ſive abluat undis.
Quippe ſuis hoſtes meminit de finibus actos
ENSIFERI virtute DUCIS, ſeu prima moveri
Viſ malè debuerat lædentis fœdera Regis
Borbonii, & foedè fractis ſuccurrere rebus
Sævitia junctis Turcis & fraude volentis;
Seu Domino ferro reddenda Moguntia vero,
Seu ſæva à patria removenda incendia; cives
Quam faſeſt, aliis ſeu ferrent neve tributa,
Viribus oppoſitis laudando more cavendum.
Hocque magis juſtis geſtas res laudibus effert;
Quod tanti ſecura viri, ceu geſtiit hoſtis,
Atque infana libido fuit, ſuppreſſa jaceret
Nunquam præſidiis, nec ſpem dimitteret almam;
Quodque ipſe immoritur Princeps his rebus agendis;
Servandos redimit ſublimes & ſanguine cives;
Ultimus ut charis Rex commemoratur Athenis
Effeciſſe ſuis, quo poſſent vincere, fatis
Ex priſcis Dores nova rixis bella moventes;
Curtiadem velutique ferunt, cum peſte Quirites
Ex vaſta occiderent veniente voragine, forti
Deſultu in foveam fœdam extinxiſſe mephitim.
Quid de conjunctis, HEROS, Tibi fœdere dicam?
Veſtibus expreſſit lugubribus Anglia luctum,
Et cuncta immaduiffe notant, quas fuderit Aula
Illuſtris, lacrymis, & quem nunquam augeat imber,
His undis hauſtis Tameſin tumuiſſe videri,

Teutonium versus majus traxilleque pondus,
Inde ut sciremus luctus causam esse petendam;
Et quod cognato funus sit sanguine raptum;
Magnaque quod gessisse sibi gens inclyta credat,
Imperiumque minus stultam nunc spernere Jernam,
Victorisque sui fidei se dedere cives;
Impia Saxonico quod Gallia milite tracta
Speratas non posset opes transmittersse pressis,
Regem & promissis sentirent fallere vanis.

Nec tacuisse vides in tanto funere moestos,
Distractos alibi qui sustinere labores;
Seu cura à Flandris injustos pellere motus
Hispano; proprios sibi seu defendere fines,
Quem grandis dudum sociat sapientia Divis,
Brandenburgiacæ, Friderico, gentis amori;
Seu Pedemontanos fervare alacresque Sabaudos,
Immani & Celtas expellere more furentes,
Summissa rapidos cui subjicit Oenus, Isara,
Post Vilsam & Salzam pietate atque Altmula fluctus;
Et quem Dux Bavarus fervore ardente levatum
Astorum Heroi venit Turonumque potenti;
Sive arcere suis vicina incendia tectis.
Quos & Mars celebrat magnis in secula gestis
Æternisque viris propriis Cyllenius infert
Inventis, Batavis; multis & dotibus Hasso,
Sidera qui teneat Semo post funera, digno.

Illustres sequitur tincta Albi Misnia fletus,
Quæque fide juncta est Thuringia fertilis illi,

Ter-

Terraque, quam niveis facilis Spreva irrigat undis,
Vix enarrando tundentes pectora planctu,
Quod majora vident, quæ sumunt commoda, quã quæ
Percepere alii; quodque à regione remotis,
Quæ castra adspexit, collecti æstivaque vidit
Roboris, accepisse datum est per classica partas
Absque omni strepitu dotes; hincque aspera nulla
Vifa fuere simul, propriis inflictave rebus
Damna; ut quos propius Marte appropere tuemur,
Ipsi ut nolimus, valde & vitare paremus,
Sæpius à nobis nocitura subire necessum est,
Et levioere malo meliorem quærere fortem.

Jamque Pales cessat foeno vestire virente
Prata, adimitque suos Pomona recondita fructus
Arboribus, seu corna velis, seu pruna, nucesve;
Et nullas Cererem fruges dare velle videmus,
Et caput acceptis Floram nudare coronis,
Suffossis scrobibus Bacchumque involvere vites,
Et stabulis pecudes pastores claudere fessas,
Et foliis orbas Satyros invisere sylvas;
Quin etiam glacie sua flumina sternere densâ
Najadas, & sese concretis condere muris;
Non hyemi fasces sævæ quod tradidit æstas,
Seque locis tutis in tristia frigora munit,
Infestis sed quod fatis obiisse dolebat,
Qui frugum exitio quod Martia spicula facta
Arcuerat, magno splendore virefcere sylvas
Fecerat, & campos, pecudes, hortosque ferendis

Fructibus ornatos, herbas & prata, ferasque;
Et quod coeruleum mare qui fluviosque gubernat,
Defecisse gemit, quo defensore meare
Et naves poterant remis feliciter actis,
Ire & per pontes homines, carpentaque ferri,
In viridi & pisces cum Nymphis ludere cannâ.

Officium ante alios Musæ sibi flebile sumunt,
Quodque sibi præstet gratas pia Lipsiades,
Et prius acceptos efflent altaria fumos,
Et pecoris caleant aræ quod sanguine cæsi:
Hoc opus, Elector, summum est, juncto ore profantur,
Aque tuis nobis, Divine, quod obtigit armis.
Excipit auditas perculsa Academia voces
Assensuque probat: Recte subditque Camœnæ
Admonitum est. Solos non fortes prælia firmant,
Quosve armat thorax, inque hostes fervidus urget
Invisos animus. Gaudent & pace parata
Fortibus inceptis placidissima pectora Musæ,

Non equidem deerant, quæ flere liceret adempta.
Quantum est, me vestram matrem reparare jacentem,
Quum Morbona malis affligens mœnia morbis
Disgregat, & doctis tristem cultoribus orbat;
Sedibus asvvetis pulsam revocareque turbam,
Doctoresque simul discentem & reddere coetum;
Cum rerum potitur primum, fascesque capeffit
PRINCEPS per Divi Genitoris fata relictos.
Quantum est, in medio Imperii depellere cursu
Esuriem, nobis defectum afferre videbat

Quam

Quam frugum, insolito cum Phœbus adureret æstu
Campos speratas nec vellet reddere messes,
Horrea nec dapibus possent complere coloni.
Civibus accedunt communia commoda cunctis,
Pace exoptata quod recta Ecclesia floret,
Justitia Prætor quod fides jura ministrat:
Quodque domos quivis proprias sine clade tuetur
Duræ, seu charam pascit cum conjuge prolem,
Sive opus instituat faciendum injungere servis.
Sed placuit mœstis potius nunc plangere curis,
Quod DOMINUS cecidit, qui nos servavit ab hoste
Infesto, atque expectatam dedit ense salutem.

Hactenus auxiliis suffulta Academia magnis,
Ante velut bona capta habeo, majoraque fumo,
Parque aliis mater Studiorum maxima credor,
Si quo forte loco mea quæras ardeat ara?
Lipsia me servat, Misnensis gloria gentis,
Europæque decus, Domini exoptabile semper
Deliciumque sui. Quo vivam prospera cive?
Austria quem nobis & amica Polonia mittit,
Et Sævus, Bavarus, Mœnus, Franconia, Rhenus,
Quemque venire jubet, nunc Anglia, Svecia, Danus,
Nunc Scythicas ponit qui sedes Prussus ad oras.
Ad res tractatas referas, quod pectora rerum
Notitia variâ virtutis doteque multæ
Imbuimus, quod quæ de Numine credere fas est,
Eusebie haud vitiata docet, quod tradere leges
Divinas Astræa potest, humanaque jura,

Officia

Officia infirmis sua, quod fert Diva Medentum,
Inque hos juncturas ostendit corporis usus,
Herbarumque affert vires morbosque fugandos,
Quodque licet varias Studiorum exponere causas,
Monstramusque vias, sapiens ut crimina vitat,
Et promptè exequitur, quæ vir præstabit honestus,
Et virtutis amans, veterem quæ gesta per orbem,
Græcia quâ sistat lingua res Romaque dandas.
Ista at nos ratio ducit. Proponere vera
Mens est, & breviter, quæ credas vana, resectis
Quæ mundo præstant usus, ostendere, magnos.
Resque hoc suscipitur fine, ut mittamus in orbem,
Quorum operis fervet speratum Ecclesia florem,
Atque fovenda omni populo Respublica, dignos.

Electore sed has conservo vindice dotes.
Heu mihi, quam poteram splendorem amittere pul-
chrum,

Paceque destitui facile! Exitiosa bonorum
Gens opibus Turcæ, Turcisque simillima Franci,
Hostis erant, Musis certum interitumque minantur.
Non dico, infesto non posse resistere ferro,
Cædibus infensisque viris succumbere Divas,
Non nisi virgineâ spectandas dote Thalam,
Eusebiam, Themidem, Hippocrates quamq; ardet Hy-
geam.

Surgere ne pressas rursus permittere Turcas,
Perspectum est, nec posse fera de gente putari,
Qui studiis cupiat tractatis cultior esse,

Quæ

Quæ sint Terpsichores gratis commercia rebus
Cum populis, quos horror agit, Scythicique furores?
Quid canat his Clio, quos non nisi barbara facta
Nobilitant, actumque nefas? nec sede locabit
Ætherea Uranie, dignissima tetricus orcus
Præmia queis sævis tradent & tartaragestis.

Gallia non alio turpissima classica movit
Confilio. Conjuncta Scythis ut foedere duris,
Quæ Turcæ, rebus nostris sic fata paravit.
Artibus ipsa quidem cultas concedere sedes,
Et studiis operam cives dare velle videtur.
Dic quid Lutetiis videas ornatus esse,
Aufonii patriæve focis, vel sede Cadomi?
Quasve dabunt artes Collegia docta Tolosæ?
Sed vel vera vetat fatis proponere Musis,
Vel foedo vitiat venerandas dogmate Divas,
Foemineumque aufert cunctis adimitque decorem,
Non nisi fallendi iussis discentibus artes
Tradere, perfidiam, sanctissima foedera causis
Quæsitis levibus parvo temerare pudore,
Nullo & possessas aliis res demere jure.

Jamque etiam miseros casus exempla docebant.
Græcia, non extant, quas ostentabat, Athenæ.
Clara situs texit foetens prodentia scripta
Oppida, sive Asiæ servata in finibus essent,
Seu Syriæ, tutis coleret seu Thracia tectis.
Quæ, quam voce valens docuit Chrysofostomus urbem,
Musa colit? Magni vel suscipientia mella

B

Moenia

Moenia Gregorii sancto venientia ab ore?
Vixque vetus nomen designat Apollinis aedes.
Amplius ipse etiam Pindus, Crissæaque Phocis,
Coryciumque antrum non est, non Thespia sacra,
Non Aganippeï fontes, doctusve Cithæron,
Non quicquid turbæ visum olim est dulce novenæ.
Imò etiam in tristes Gallum enses stringere strages
Heidelberga timet rebus Tubingaque fractis,
Et graviore suas dolet Argentina Camœnas
Servitio oppressas, internisque ignibus haustas,
Blanditiis quos vis infert tectissima fictis,
Sistere, quid passura forem, si compote facto
Principe Borbonio voti, potienteque rerum,
Mancipium, restent quæ Musis tempora, degam.

Sed tantum exitium Dux Excelsissimus aufert,
Infestas sensit simul ac oriente relicto,
Eoisque plagis, in nostros tendere fines
Turmas Bistonias, simul ut sua foedera Turcis
Servarent pactis læsis petiit fideque,
Teutoniam infensis Celtas acceperat armis,
Quas defendendæ patriæ conscripserat ardens
Virtute egregia, multâ pietateque vires
Colligit atque animat, ductasque opponere gestit
Hostibus & primus metuenda pericula pellit,
Dumque semel ferventer opus sumtum optimus urget,
Insistensque suis gestis annum addidit anno,
Immensò patriæ numero sua munera præstat,
A Laribusque ignes arceat, cladesque nocentes

Et

Et furta, hincque actas nunquam sine sanguine prædas,

Quis dat militiæ laudes describere sumptæ?

Ducitur ecce Deo Princeps, trahiturque verendus

Ad loca consiliis cœli, quo ducit euntem

Se menti insinuans agitato pectore fervor,

Sensibus humanis & sollicitudine major;

Qualiter ingesta per Numen mente Dagonis

Servos prostermit Simson, Deboraque vates

Fœmineis manibus prætores Marte ferocem

Jabini, Eglonem Regemque ut fortis Ehudus.

Hincq; etiam intrepidum subiisse pericla stupemus.

O quàm dulce fuit pugnae se sistere ferri

Hostem! quam nullus delata ad prælia tardum

Sollicitare labor! quam magnos tympana dicam

Effecisse animos ad grande vocantia munus,

Præsentisque aditus mortis, sonitusque tubarum!

Quid strepitum armorum, bombardarumque boatus

Eloquar, humano conspersam & sanguine terram,

Urbis & obsessæ tormentis mœnia fracta?

Non ponam alloquio accensas ad summa cohortes.

Scribere si cupiant, quos non prudentia lasset,

Quàm visum est, quid sit præsens, veniatque futurum?

Dexteritas quos non, bene qua consulta peregit,

Quaque simul, virtus, frenata licentia belli,

Et venia indulta est commissis justa protervis.

Quin rebus cessit nunquam patientia duris.

Non raro fessis via rura tenacia signis

Objicit, & parcos ad danda alimenta colonos.

B 2

Mox

Et

Mox large effuso subigendum est fortibus imbres
Turpe lutum pedibus. Castris nunc debita defunt
Fomenta, absumptæ vel quod per tempora longa
Res fuerant, vel quod loca vastatissima, per quæ
Vestigandus erat magnis conatibus hostis.
Ut taceam constricta magis, quam tempora noctis,
Quod sumpta hora fuit somni, stomachoque fovendo
Quod placuit vacuo, quam primum invenerat, esca;
Charorumque hominum lacerantes viscera morbos.
Quod juvat, hoc potius, quo re graviore paratur,
Donaque nobilitant pretium & præstantia dantis.
Sed pacem & bello nos passim ardente videmus,
Non magis in terris felicia tempora vastis
Commemorant, quam quæ regnum prægrande fove-
Judaicum, fasces Salomone tenente regendos. (bant
Non, fila abriperet ne Parca infensa, timebant.
Commoda vel ne dura Ceres frumenta negaret,
Consumenda situ Mars ferramenta tegebat.
Pax erat, & pacis sumebant munera cives.
Religio viguit, succurrit curia pressis.
Floret ager, fruiturque sua jam vite colonus,
Pomaque decerpit ficus. Cum conjuge tutus
Proleque transegit prosperrima tempora conjux,
Plusque urbs argenti jactat, fulvique metalli,
Quam lapides poterant numerare & fronde virentes
Ramos, fulgentis vel splendida sidera cœli.
Non ulla Augusto, qui Romæ consule primus
Regnavit fracto, terrarum Cæsare damna

Affi-

Afflixisse orbem scribunt, non ulla pericla,
Omnia sed viguisse magis, pacemque fuisse,
Fructibus & tumuisse hortos, tumuisseque sylvas,
Lacque locos cunctos spirasse & dulcia mella,
Nullaque post urbem Romanos secula structam
Commendare magis, seu plurima munera spectes,
Quæ dederant, seu quod non parvò tempore durant.
Tanta at compositis veniebant commoda bellis.
Floruit Isacidæ populus, vincente fugata
Quod vicina manu felici & victa Davidis
Turba jacet, sponfos præstat summisque census;
Lætaque multa Tuis Romanis, Magne, ferbas
Cæsar, divini post motos morte Parentis
Interfectores merita, Lepidumque cadentem;
Postque armis cæsum, qui regna Canopica vasto
Romulidum imperio cæcus jungenda parabat,
Ultima, Reginae sponsum, quæ sceptrâ gerebat,
Nectentem moestum regni Venerisque nefandæ
Ægypto exitium propriisque libidine rebus;
Postibus & Jani post addita claustra bifrontis.
Ipsa at Mavorti bona nondum extorqueo fesso,
Ædibus & templis felix & jure colendo,
Post debellatas florens nec gaudeo vires
Adversas, fractasque hastas, contusaque tela,
Milite sed quærente hostem, metanteque castra,
Vimque arcente malam, frigus mediosque per ignes
Gratum habeo, placidasque undas, freudentibus austris
Naves inveniunt, perque aspera fulmina grati

Occurrunt oculis pulcherrima lumina solis.
Sed quid inepta tamen tento? quid gaudia jacto?
Actum est. Intereo. Fatis jam tollitur atris,
Quo tutore dabat, quæ prædico, munera cœlum,
Dixit, & obvelata caput, concussa que pectus,
Obticuit, cunctis sensim turbataque membris
Atteritur, tacito se consumptura dolore.

Inter cœlestes, quam servat, sede relictâ
Magna at tunc Pietas, in charos Diva regendis
Officiis præfecta homines, atque arbitra juris,
Quo fas sit Patres soboli lugere peremptos,
Subiectum ereptos populum deflereque Reges,
Præsto est, lugentem veneranda affataque voce:
Quid misera, ista facis? dicit. Non condere fas est,
Sed clara erectos ad sidera tollere vultus,
Nec spectare tuas clades, sed maxima divo
Quæ Domino veniunt pro magnis præmia factis,
Utque locos similis cultumque animumque paternos
Maxima progenies sumet, Stirps inclyta Regum,
Incepta addictæ mox perfectura Clienti,
Quæ bona, devotæ plura adjecturaque plebi.

Postquam ait, ætherei longe patuere recessus,
Gaudii inexhaustis recreantes pectora rivis,
Heroumque locus, magnos pensansque labores
Impensos patriæ per tot discrimina sedes,
Quo simul abjectos oculos attollere iussa est,
Innumeri occurrunt Divi, Regesque, Ducesque,
Amramides Moses, Persis quique intulit ingens

A Mc-

A Medis Cyrus Imperium, quique ipse bonorum
Conciliator erat, Soboles quo tempore Abrami
Capta fuit: Reges populi Salomonque Davidque
Judaici, ex claris qui Christo primus adhæsit
Cæsaribus, Constantinus, qui templa focosque,
Et vasa exussit vanorum & sacra Deorum,
Verumque induxit cultum: Robustior armis
Carolus ornandisque magis, quam Gallia nunc est,
Prima & Germanis crucis ingens causa colendæ,
Saxoniae & Ducibus, Sancto baptismate tincto
Tam grandi unde venit, VVitekindo, gloria genti;
Compluresque alii, quibus accelerare salutem
Par fuit oppressis, floremque acquirere rebus.

Accessit numerum sed noster sanguine junctum,
Majoresque suos hac auget sede receptos,
Hic videt Ernestos, Henricos spectat ovantes,
Augustis jungit se voce animoque colendis,
Christjanis, proprio perque omnes nomine notis,
Oscula queis veniens Genitori libat Avoque.
Ante alios belli fama petiisse notandum
Fridricum placuit, firma Albertumque potentem
Mente, animoso & Avo similem virtute nepotem
Mauritium amissa vita intet classica clarum;
Ex prisco & veteres stipantes ordine patres:
Ditgremum, Augusti cor posthunc Aucupis unum,
Ditmajerum alacrem, Dedonem, moxque Ditricum,
Dietricumque alium, Themonem & corpore fortem,
Conradum pietate bonum, aggestisque beatum

Post

Post Ottonem opibus, Ditericum divite natum
Ottone, hacque omnes Fridericos arce locatos.
Huc venit, & verbis venientem his excipit unus:
Ergo ades antiquæ decus amplæ & gloria gentis,
Hisque locis jussus faciem tibi sumito dignam,
Ecce aperit dudum veneranda palatia Numen,
Queis nos, ex terris vadenti ad sidera donis.
Jactamus veterem stirpem, celebraveris illam
Hoc potius, post nos quo plures natus es annos.
In prima ductu virtutem ætate paramus,
Ad magna instinctus monitis ut es ipse Parentum,
Donis florimus virtutum & fortis utrinque,
Ense bonus Themo, velut ense ferendus ad astra es,
Ut Conradum effert, sic Te, mens commoda laude.
Virtute Ad mori mansit Thuringia nostris;
Ad feros probitate tua servata nepotes
Misnia porrigitur. Multis spectandus in oris
Ad Sacra Henricus perduxit coelica Prussos:
Conservas Domino verbi integritate placentes.
Consilio Henrico Augusto, studiisque fidelis
Ditmajerus erat. Non his te vicerit alter.
Pannonas ante alios fundit Gallosque feroces
Albertus. Dictos domuisti & viribus hostes,
Exulibus sumto Fridricus servat ab armis
Nomine Lipsiacas sedes donatque Camœnis:
Ne fugerent, quo Mars tentabat cogere, præstas,
Exitioque arces commissas ense clientes.
Uxorem Augusto, sicut Tibi, Dania jungit.

Fri-

Fridrici placidum morte os extinguere iussa,
Maxima Kauffungi, fratres duo, furta manebant.
Ernestum, Princeps summe, Albertumque relinquis,
Re Patrem hæredem regionum & nomine dantem;
Promittentem atavos animosa & mente Nepotem;
Roburque Imperii verum, dextramque futurum.
Mauritium inque arces superas ut bellica, sic Te,
Quanquam diverso casu, discrimina mittunt.

Hæc fato adjungunt pariter suffragia cuncti,
Immixtumque choris propriis per gaudia mille
Perque locos tutos summi ad confortia ducunt
Intuitusque Dei, licuit mihi quæque caduco
Non properare oculo, divinæ secula vitæ.

Externum tacuit nec maxima nomina cœlum.
Exsplendetque novum JANI quoque stella GEORGI
Sidus, per cunctasque amplo sua jactitat orbi
Munera, proque dato cerni vult lumine noctes.
Fama est, Herculeos Numen pensasse labores
Sidereas inter concessa sede cohortes,
Gestorum Alcidae numerum compleisse secundum
Quem post bis quinos res cœpit Principis, annum,
Crediderim, & post res quod causa recentior actas
Perpetuo defessum urget, domuisseque Lernam
Bistonique gregis stabulum mundasse refertum
Stercore, Mænaliūque suam concidere clavâ,
Menteque Cerbereos latratus spernere magnâ,
Et, monstrum ad Superos vinctum proferre catenis,
Vix tantum credetur opus, comperescere quantum

Fri-

C

Im-

Immensas Orientis opes, serpentis & instar
Lurida spirantem moesto ore venena tyrannum
Threicium, Scythici metuendaque dulcibus uvis
Rostra acuentis apri, calcataque compita coeno
Foedantis, pagosque fimo; vel saeva Garumnæ
Bella arcere manu, afflictum servareque Rhenum
Dæmonis adversus conata extrema furentis,
Tartarei adversus foeda excrementaque regni,
Pro tantis igitur meritis per sidera splendet,
Assiduaque orbis clarabit tempora luce.

Filius interea magnus sublimia sumet
Successu Excelsi felici munera Patris.
Quem jactare volent Divæ per secula cunctæ,
Quem Charites blandum, quem maxima Juno poten-
Doctaq; quem rerum fert arte Minerva peritum, (tem,
Sors onere immunem spondetque benigna malorum,
Tempora deveneranda Salus perque omnia faustum.
Has, Pietas, scribas meditato carmine dotes
Præcipio quondam, pergite, si nube remotâ
Tristitiæ obscura, plenas in carmina vires
Subdet mente pius susceptus Apollo serena.
Nunc animo cupiam certa ad solatia ponas
Confuso, patriis instans velut artibus, omnes
Dispellet tenebras, commotis quæque supersunt
Nubila discutiet rebus, reliquosque labores
Finiet, & miserum, qui nascitur inde, dolorem.
Quippe velut Dominos avium, Regesque ferarum
Ex stirpe egregias contingit sumere vires,

Natu-

Naturam exemplis & confirmare Parentum,
Indeque, quas Patres videre excindere, gentes
Tollere, facta novam veterum tentareque prolem;
Castra Titum ad patrium formant ut Flavia bellum,
Ut videt orsurus magna olim praelia Thermæ
Cæsar, gestorum testis sociusque laborum,
Sic soboli licuit spectare pericula summæ
Bellaque, quæ Genitor gessit, defendere quondam
Ut commissa sibi posset, frenareque Martem.

Hæc Dea fata abiit. Tacta est Academia voce
Tamque piis monitis, surgenti ardore calente
Sese submittit Domino, spondetque futurum
Obsequium, utque suos jam subjectissima fletus
Tam Patris nato placituros sperat amanti,
Quod fata ipse dolet plenus moestissima planctu
Immenso, sic firma Deum solatia poscit,
Sufficiat, felix rebus cœptisque precatur
Imperium, atque annos ad facta ingentia multos.

At tumulum Excelsi spargit cineresque Parentis
Narcisso, violis, lauruque hederisque, rosisque,
Præbita dona sibi vastum dictura per orbem,
Donec erit, Phœbi virtuteque Principis aris
Servatis sua thura feret gens dedita Musis.

Sic Dominum flevit consternatissima Clio,
Nusquam interruptis luctum & singultibus urget.

Interea Sophici veniunt solennia festi,
Incipiat fas est carmenque ut fundere Phœbus,
Præmia qui capiunt, juvenum præconia sistens.

Quid faciat Numen? Si par servire, profatur,
Temporibus, prohibet mihi quid res dicere mœstas?
Principis inprimis quando non sola fatigat
Mors animum, cunctis communis causa malorum,
Sed proprio Sophicus coetus quoque vulnere mœret,
Martisburgiaco, qui Cancellarius omnes
Res nostras moderatus erat, dederatque parandi
Sertâ potestatem, sublato Principe fatis;
Factaque, quem memini juvenum cecinisse, Poëta,
Carmine, Fello dudum super æthera vecto.
Non tamen à coepto nos hæc mœrore vocabunt.
Funera. Quorum alio tanta vero tempore facta.
Hac vice demtus adhuc lugendum Elector habebit
Officium, laudes immensas tradere sicque
Constitui, ut quotquot juvenes præconia sument,
Singuli in Excelsis inveniant quod Principe laudent,
Per cunctamque omnes jubeantur dicere vitam.
Vos modo totius qui vel nunc sceptrâ tenetis
Pindi, vel Sophicos primi tractatis honores,
GARPZOVI, Eusebicus lux ipsa & gloria prima,
Immensis in Te convertens dotibus orbem,
Atque indefesso pro verbi luce labore,
Commisissique gregis studiis operaque salute;
Defuncti vacua Genitoris sede locatus
Quemque novus proprias jam Cancellarius Heros
Jussit habere vices primum, Sapientiæ ocelle,
MENCKENI, Studiis impendens Teque juvandis,
Quæ stupet, æternis meritis, humanior orbis;
Qui-

Quique ob utramque volas dudum per sidera laudem
ALBERTI, Eusebies fulcrum, splendorque *Thaliae*,
 Deliciumque Tuæ per secula *Palladis* ingens;
 Panfophici Senior Caput & nunc ordinis amplum;
 Et qui jussi estis juvenes examine justo
 Explorare omnes, *FRIDRICI*, fesse labore
 Nullo formandis teneris quem mentibus ardens
 Attribuis; magno *HESHUSI* candoreque clarens,
 Justitiæ seu sint præcepta tenenda timendæ,
 Augendumque decus studiorum, sive tuendæ,
 Si novitas lædat, firmis conatibus artes;
 Flexanimæque *SCHMIDI* Svadelæ dotibus addens
 Doctrinam æthereæ ducentem ad gaudia sedis,
 Eusebiæ spondens Teque exoptabile lumen;
 Annuite, & cœptis linguaque animisque favete;
 Hoc magis, expulso nondum mœrore levati
 Quod magno lacrymis fat fieri haud posse docetis
 Exemplo Dominum ereptum velut omnia, sacra
 Sic defendentem summis Academica rebus.

I.
GOTTHOFREDUS OLEARIUS, Lipsiensis.

Commendandarum scribes compendia rerum,
 Conjunctasque feres, *Oleari*, carmine laudes,
 Qui post Te dicent, quas sparsim in Principe tradent;
 Præmittenda operi quo se summaria fistant,
 Res doctus videat Lectorque attentior ipsas.
 Nec quod Te deceat, sit, qui magis afferat aptum.
 Omnia primus habes etiam, nec munera defunt
 Ulla, ob quæ post Te positi præconia sument,
 Et stirpem egregiam clari, ingeniique vigorem,

Et mores placidos, habitas & pectore dotes.
Gebaueriades teneros formaverat annos,
Trottiades, pauca nec *Pritius* arte politus.
 Insignem rebus mentem majoribus implet
Fellerus, quem si doctæ compendia terræ
 Dicis, vera affers. His adjecere, quid astra
 Portendant, ratio firmet, natura recondat,
 Ens credas, mores emendet, gesta per orbem
 Exhibeat, varias res signet, carmina fundat,
 Sermone attentos inflectat, Græcia vulget,
 Et gentes orbis lingvæque loquantur Eoi,
Dicelius, *Westphal*, *Cypriani*, *Albertiadesque*,
Rechenbergerus, *Fellerusque*, *Herrichiusque*
Zogiades, non tam *Sophocles*, doctique *Platonos*,
Democriti, *Hesiodi* culti, *Taciti*que putandi,
 Corpore quam *Phœbi* non magno ipsæque *Minervæ*.
 Quid de divino fas est proferre Parente?
 Quid de *Carpzoviô*, *Schmidiô*, sanctô *Ittigioque*?
 Hoc magis attento, quos scribam, pectore dignis,
 Mundo quo citius persuasum est, mente Sionem
 Eusebiamque ipsam cœlesti animoque tenere?
 Horum in Te laudes operas. Quem jungere visum est,
 Nil dabat *Ernesti* rerum, tantumque stupebat
 Admiratus opes mentis: Te multa que in unum
 Jam cunctorum etiam se collegisse favores,
 Gaudet, sive bonum spondent virtutis amantes,
 Seu varia expressi magni Tibi dote Parentes,
 Sive ipsum extollens, quæ dat, sua munera Numen.

II. JOHANNES FRICK Ulmenfis.

Novimus egregia Te præditum origine, Fricki,
 Seu spectetur honor stirpis, seu gloria mentis.
 Ante omnes igitur, quis sit majoribus ortus
 Elector, dices, factisque atateque magnam
 Rebusque innumeris tolles ad sidera terris
 Saxonice Dominos dantem longo ordine gentem.
 Theologies Genitor tuus est Sophiesque Sacerdos,

Die-

Dietrico illustri mystâ prognataque mater.
 Dixi aliquid? Majus sed longè judico munus,
 Nobilior doctæ quod visa est mentis origo,
 Doctrinaque potes claros proferre Parentes,
 Ebria nominibus qua monstrant pectora doctis.
 Non fas de meritis nunc dicere multa virorum.
 Sola tibi, obstupeas, si maxima nomina scribam.
 Prædicat eximii doctores Ulma Lycei
Stromeieriadem, Rothium, Wohlfarthiademque,
 Cum *Patre Beckiadem*, quosque ardet Phœbus, *Honoldos.*
 Jungit at Ulmeni sua lumina Lipsia Pindo,
Ittigium, Albertum, Cyprianum, Menckeniumque,
Rechenbergerum, Fellerum post funera clarum,
Pfauziadem, Schmidium, Rivinum, Oleariademque;
Carpzoviumque Almæ matris nunc sceptrâ gerentem.
 Nec tamen in gentis solos convertis honores
 Patres: possedisse putas nec maxima laudem,
 Qui mentem formant, doctores munera summam.
 Addis & ipse decus, Tibi commendabile censens
 Profecisse animo, sæpe impensasque docentum
 Commendare operas rebus virtuteque sumta,
 Qualem in te norunt, quondamque ornare studebunt
 Immensis patriam meritis obstringere pergens
Buldingeriades, sanctisque *Vejelius* aris
 Invigilans Præses, largi qui fontis ad instar
 Dispensat populo jus *Neubronnerus*, eodem
 Nomine deveneranda Tibi duo corcula cauti
 Mercurii; Themidos fulcrum *Gutherius*, alter
 Hippocrates, *Gebhard*, urbis; reditusque *Ditricus*
 Dexteritate sacros qui curat Avunculus ardens.

III. GOTHOFREDUS LUDOVICI,

Barutho Lusatus.

Gessit magna Heros noster. Sed causa putanda est,
 Quod rectis jussis primam instruxere juventam,
 Ingenuè eductusque ad res accesserat actas.
 Verbis ista Tuam, *Ludvice*, extollere Musam

Optem

Optem. Laudator sique optimus esse videtur,
 Qui dotes aliis assertas possidet ipse,
 Qui res commissas, non sit Te dignior, ornet.
 Budissima regit primum Schola habetque laborem.
Rosenbergiades; varias sic discimus artes,
 Rector ait: Græcas, *Christjanus*, sicque Camœnas,
 Pectore Cecropias docto complexus Athenas.
Jentschius accessit: Solymamque audire valeres
 Chaldæam & Syriam, propriisque invadere lingvis
Wagnerus causa est vir rebus tinctus Eois.
 Quis sic non speret de Te? Majora sed indit
 Lipsia, quâ non est meritis urbs ulla juventam
 Per totum immensis in cultam illustrior orbem.
Seeligmanniadem materno sanguine junctum
 Primum affers, qui Te bene tractat Doctor & Hospes;
 Scripturam virtus post dat *Carpzovia*: condit
 Mox mores *Oleariades*, *Menkeniadesque*.
Alberti enumerat coelestia, resque profanas.
Franckstenius leges connatas tradit, ut ipsam
 Naturam exponit *Cyprian*, certissimus autor.
 Quid quondam placeat de Christi nomine dictis
Ittigius vulgat. Variis sed cætera donis
Schmid, *Rechbergque* docent; *Christjanus*, gentis Eberi
 Portio Salvatoris amans, *Grosserius*, *Hardque*,
 Quemque juvat causis *Ernestum* jungere nullis,
 His te finxerunt studiis. Nec vana fuisse,
 Successus signum est. Teque ipsum pectora plenum
 Egregium auxilium spondes jam rebus agendis.
 In magnos florens quod quo Respublica fructus
 Sentiat, efficient *Zittanæ Bartolus* urbis,
 Svadaque *Lipsiacæ*, *Seeligmanni*; Ipseque terræ,
 In qua natus eras, Dominus, *Gerstorffius*, Atlas
 Saxoniae, & summi Dux Principis osque Senatus.

IV. Gottlob Gerber/VVigandsthalia Lufatus.

PRincipio Imperii commissi hâc sorte beantur,
 Quod, densabantur qua tristia funera, pestem



Placatum precibus summissis cedere Numen
 Principis infractam studiis operisque juberet ;
 Postque hæc summotis, qui turbant omnia, morbis
 Officium sano facerent in corpore cives.
 Magna est prosperitas. Magno ergo Principem honore
 Afficies, doctis si munera tradita verbis
 Prodes, proque bonis meritas Clementia laudes
 Numinis accipiet digna & præconia rebus,
 Nec te dedeceat. Cœpisti mente valere
 Dudum etiam, morbis, animum qui lædere possunt
 Sensusque infirmant, cum, foedâ peste remotis.
Langius egregias partes sibi primus habebat.
 Et *Gerberides*, Tibi doctus Apollinis artes,
 Non tam, quo læsis afferret corporis herbas
 Artibus, adque suos servaret membra labores
 Integra, quam mentis foeda ignorantia veræ
 Doctrinæ studiis expulsa recessibus iret,
 Febre ipsâ peior, lædenteque viscera tussi.
 In finem Hippocrates vixit *Guntherus* eundem
 Præfectus Medica Wiefensi hæc arte juventæ;
 Ipsò *Weiffides* potiorque Machaone Pæon,
 Zittanis varius Phœbus venerabilis aris.
 Hæc alibi; Sed quid tibi Lipsia visa paravit?
 Non Tibi tam Delphos celebres, quam Pergama sistit;
 Doctoresque dedit tantos, quibus arte medendi
 Inferior cedit Podalirius ipse vocatis:
Albertos, *Schmidios*, fortes, *Guntheriadasque*,
 Et *Seeligmannos*, seu pectora reddere firma,
 Fas sit, sive malum vexans de mente movere.
 Nec vanos in Te sentis, *Gerbere*, labores.
 Ecce habitus animi prodentia robora sanos!
 Crescentque ulterius. Bona quæ concedat, *Hygea*,
 Et studium impensum fuerit curæque tuendo
 Officio, rebusque bonis: & mentis origo
 Rectæ, subjectis Numen placabile votis.

D

V. HFIN-

Pla-

V. HEINRICUS VOLCKMAR SCHERZER,
Lipſienſis.

Jungendos ſtipant ſponſos ſponſasque Jocantes.
Conjugia ergo piis, *Scherzere*, illuſtria verbis
Scripſeris, & fauſtis coiſſe hæc fœdera vinclis
Trades, uxoris ſeu magnas dicere dotes
Excelfæ fas ſit virtute & gente putandas,
Seu ſobolem inſignem, ſeu quâ bonitate colendum
Conjugibus tribuit nomen mens Numine plena.
Quin hodie ſtabili ſponſam Tibi fœdere jungis
Panſophiem, propriamque dicas. Mens poſſet amari
Effecere, rudem formant quotcunq; Magiſtri;
Admonitus ſtimulis æterni quodque Parentis
Divitias variis patrias conatibus augeſ.
Principio puerum virtutis ſemine ſparſit
Petri, mundo ingens ereptum lumen acerbis
Fatis; Parnaffi *Saalbachidesque* diſertô
Gryphiswaldenſis nunc Tullius ore, Maroque;
Quemque octo fidum doctorem expertus es annos,
Guntherus. Juvenem florens Academia tractat,
Eloquio *Schmidius* dulci, *Groſſerque* potentes;
Spirituum *Alberti* ſiſtens rerumque valorem:
Condita naturæ *Cyprian* ſecretaque vulgans;
Legibus & mores ſanctis *Menckenius* aptans;
Et nova proponens *Rechberg* & priſtina facta;
Verborumque regens pugnas juſta arte *Fridricus*.
Et queis poſt Sophicas reſ ſacra afferre ſtatutum eſt,
Divinis Scriptura tenet quæ, dogmata, libris:
Pindi æque ac ſancti *Schmidius Guntherque*, Sionis,
Pectora vel fluviis madidi, vel nectare dio.
Quid non hac caperent juvenes ratione parati?
Hincque places etiam pulcher, *Scherzere*, Deabus,
Mille tuæ Sophies ſumpturus baſia collo,
Et mille Eufebies, conſtrictus amoribus arctis,
Dum, patriis meritis commoti quando Patroni
Orſa juvant, vaſtis facturo commoda terris

Facta

Facta loco totidem liceat Tibi tradere prolis,
Quot Genitor scriptis post tristia funera durat,
Officiisque sui per vitam præbuit usus.

VI JOH. AUGUSTUS OLEARIUS,

Halensis.

ENsiferi virtute Ducis divina coruscat
Pectoribus doctrina piis, nilque artibus atæ
Spiritus obtinuit variis, si tradere vellet,
Quod falso terras temeraret dogmate nostras.

Hanc laudem exponet facundo *Olearius* ore,
Eusebies, nactus firmissima fulcra, Parentes,
Inque sacros surgens ipse amplum Lumen honores,
Principibus charos quis *Patrem* laudet *Avumque*,
Ut decet, atque alios, patriâ seu voce colantur,
Seu quoque maternos fundet *Prætorius* ortus,

Jenæ olim, variæ post gloria nobilis Aulæ.
Ostendere viam studiis sed nomina multa.

Quid non in primis monstravit *Gluckius* annis,

Lutheri patriæ jam mysta & splendida stella?

Quid non *Jampertus*? Post hunc multisque **verendus**

Ante alios meritis non parvæ *Wonne* salutis

Autor? Post istos Augusteique Magistri

Schiferdeckerus, quo Præsides sacra docentur,

Leisthenius, Rector Pindi Phœbusque vocati,

Quique illis juncti, *Gutbierius*, exque Lyceo

Stender, Salzensi mittendus præco Sioni?

Incepta absolvit Philurea hæc munera florens,

Albertis studiis præfectis *Heshusis*que,

Menckenis, *Schmidis*, *Cyprianis*, *Pfautziadis*que,

Rechenbergeris, *Felleris*, morte peremptis

Non expectata, *Ernestis*, post fata poëtam

Sisteret à summo *Felleri* Principe jussis,

Diceliis, mox & *Fridricis Hardtiadis*que.

Prima ast hæc operi dant fundamenta futuro.

Cætera sufficient, sacris quorum ora rigabunt

Aptum animum fluviis, diarum quique peritum

Rerum commoda sancta, volent præponere, curret,
Officiis, *Patru* summi, Chrylostomus arcis
Saxonicae, Ambrosium quemque æstimat Hala disertum;
Weisenfelsensis splendor *Bunavius* ingens,
Summusque Illustris præfectus *Lobsius* Aulae.
Ipse Tibi *Janus* quin Princeps Numen *Adolphus*.

VII. THOMAS BAHR, Strahlsundensis.

Militis ut natus terra es, bellicæ capace,
Famamque obsequeris nactæ per classica genti
Immensam, Patriæ sic fulmina Martia, *Babri*,
Urbis, progenuit quæ Te, data nomina jactant.
Fulminis infensos hostes quâ more fugavit,
Multa ergò extolles virtutem in Principe laude;
Barbara sive plagis misisset Thracia Eois,
Germaniæ urendis similis seu Francia terris.
Nec metus est, studiis ut convenientia mandem.
Dudum ut vi pollens depugnas miles in hostes
Mentem invadentes sævis, non corpora, telis.
Strahlsundense offert stipendia prima Lyceum,
Wolffiada Ducibus, Vehrio *Rectores*, justis.
In Dantiscanis post hæc documenta dedisti
Virtute accensus pulchra excellentia campis;
Pro causis mox Te, *Schelwig*, ferre arma jubebat
Diis, æthereæ prætor, primusque strategus
Militiæ, pugnisque per orbem cognitus amplis.
Mox voluere alias Te cautum invadere turmas
Schulzius, *Heyseus*, sancto nunc robora jure,
Naturæ rebus nunc visis maxima dantes,
Et quibus armarat sapientia pectora firmo
Rostuscheriades Genitor, thorace, parente
Filius hocque ortus, vitæ morumque magister.
Plane at collectas perspexit Lipsia vires.
Diva fides! quantum pugnatum est Præside summo
Carpzovio, quantum *Alberti* moderamine, quantum
Mænckenio, *Schmidio*, *Friderico*, *Dicelio*q.
Venturus, monstrante, hostis quâ parte petendus.
Jamquæ etiam ornamenta labor prima accipit ingens, Lauro

Lauro ipse impedio caput æquus Censor Apollo
Victoris meritum. Quod si perrexerit ardens,
Ut cœpit, majora dabunt Pomeranica factis
Lumina laudandis, cognato *Byllus* uterque
Sanguine conjuncti; patriæ *Carisus* urbi
Præfectus terrisque aliis; rerumque sacrarum
Præsidium *Rango* venerandum & gloria prima.

VIII. JOH. DAVID SCHIFERDECKERUS,
Leucopetra Misnicus.

INcolumes poteras, tua si cognomina spectem,
Perdilecte, domos atque integra scribere tecta.
Ast enarrabis potius, quam patria terra
Chara Electori fuerit, Celsumque benigno
Ut dominum affectu sit *Janum* amplexus *Adolphum*;
Exemplò illustri Tibi declaretur ut ardor,
Quo tetròba novem dilexit sancta Sororum.
Tam grati causa est primum *Jampertus* amoris,
Et *Stockmanniades*, *Schleicheriadesq;* labores,
Gleitsmanniq; favor, Cizensis sceptrum tenentis
Et variâ pubem clarantis luce, Lycei.
Post patriæ majora scholæ dant dona Magistri,
Müllerus fervens, *Habrmasiadesq;* canendo
Pollens, & *Gröbitz*, commissamque arte juventam
Musarumque colens *Hüffler*! sudoreque servos.
Augustei addit mox se spectabile lumen
Leisthenius, primumque caput; prægrandæque *Suadæ*
Delitium *Stender*, vatum & *Gutbierius* ingens
Gratia, Thymbreique decus; tum cura *Parentis*
Ante alios terræ linguas monstrantis Eoæ
Et *Gleitsmanni* operis adjuti & mente fideli.
Lipsia sed demum plenè, Philureaque Phocis
Pectora conjunxit, docto & quæ jactitat orbi,
Lumina, *Carpzovius*, summi mare grande favoris
Oceanusque DEI; flammis similisque putandus
Æthereis, *Oleariades*; gratusque Camœnis
Mille suis *Mencken* meritis; totidemque colendus

Hesbusius; studio & pertractans *Pfautzius* orbem
Accepto, adjungensque sibi; *Læderiadesq;*,
Cœlo & *Christjani* fidus, fidusque *Fridrici*.
Sic tua prosequitur venerandus pectora Pindus,
Quæ verò exspectes pro rebus munera quæras?
Quanta solet nobis pietas concedere, candor,
Et verè intemeratus amor, quantosque bonorum
Mentibus exardens subjectis Gratia præstat
Excelsis cumulos, sistens nunc munera pacis,
Curas nunc miseras & damna nocentia pellens.

IX. **Gottfried Lange / Gryphiberga Silesius,**

Cæsaribus servare fidem, velut inclyta laus est
Teutonico Imperio præfectis ense colendis,
Perpetuo Austriacæ studiis gentisque teneri;
Continuavit opus sic Dux Elector Avorum,
Officia in bellis seu Mavors posceret acer,
Pacificis seu par studiis stabilire salutem.
Nec melior, quam Tu ponas, *Langi* optime, res sit.
Cæfareis veniens terris namque ortus in orbem,
Saxonicasque habitus pulchre exceptusque per oras
Civibus exemplo monstras, non pauca venire
Commoda, Principibus coëant si pectora justis
Obsequiis, sanctoque notes se jungere nexu.
Tantis quin etiam inductus libamine rebus
Promtior hoc Phœbum fumante addictus adoras.
Versus ad hunc primis jam spectabaris in annis.
Charorum auspiciis facili ductuque parentum;
Scherbendorffensis similisque ob nomina Patri
Pastoris, cives *Gerberiadæque* medendi
Lœbavicos duris à morbis arte tegentis;
Guntheriq;, omni dignorum laude virorum.
Successit primis divinus *Weissius* orsis,
Numinis & curis animum majoribus implet,
Zittani mundo Pindi Deus ipse verendus.
Florida perfecit pietatem Lipsia Musis,
Flammisque Eusebies conjunxit Apollinis ignes.
Quid non *Guntherus* præstat lux fulgida templi?

Seelig-

Seligmanniades quid non fortissima Svada?
Et quid non *Schmidius* nostro præstantior ore
Tollendusque Tuo magis, ardentisque Juventæ
Nobiliore animo? quemque ingens portio mundi
Felicem, *Alberti*, grata effert mente Magistrum.
Ipse sed obsequii Tibi, *Langi*, præmia prenas,
Jam Phœbi, Eusebii mox & sumpturus honores;
Dotibus exsplendens pulchris, dum mente laborem
Devincta impensum sibi divus pensat Apollo,
Exhibitamque fidem; stellis acceptaque stantis
Officia Ensiferi Leopoldi gloria præfert.

X. CHRISTOPHORUS RANDIG,
Zitaviâ Lusatus.

ANte alios mevis, *Randigi*, laude parentes
Tollere, pro meritis justasque exsolvere grates,
Obsequiis sponis promptis, precibusque, per annos
Ut plures vitam possint extendere, fusis.
Egregium factum est. Poteris sed scribere fors &
Ipse etiam melius sic, queis benefacta mereri
Excelsæ obsequiis Matrisque, Patrisque, fideque
In se totius studeat per tempora vitæ,
Et vivis semper facienda ad jussa paratus,
Functosque insigni fati veneratus honore,
Et memori secum gestans in pectore Princeps.
Nec nullos tantam pietatem tradere fructus,
Credas. Quod studiis, inde est, sua commoda constant,
Sensisti, primis quando *Jerichovius* annis
Nunc urbis dederat Löbensis multa Senator.
Faustus eras, post hunc *Limmerus* quando docebat
Vicinis ingens jam culta Astræa salinis.
Et quid de *Miro* dicam? Quem fervidus effers,
Ipse velut varia doctrina pectus abundet,
Dicere sic, Logicam ut discas, vel ut entia noris.
Ut sermonis opes valeas proponere comiti,
Etq; uicquid natura habeat, seu corpora vulget,
Seu det spirituum vires, seu sidera, resve
Ut placeant, mores, civesque domusque regentes.

Sed

Sed majora indit cultissima Lipsia dona,
Quos fert doctores, studiis felicibus in Te.
Itigius, Carpzov, Rivinus sacra ferebant,
Alberti & Seeligmanniades; Sacrisque profana
Menckius addebant, *Ernesti, Diceliusque*
Fridricusque Tibi fidus, *Rechbergius, Hardque*.
Hos pietatis habes fructus. Pluresque futuris
Temporibus venient. Summus Patriæ ecce Senatus,
Ut solet, egregios tua munera vertet in usus.
Quin velut in charos, quem summa per astra veremur,
Se pietate coli ostendit Deus ipse parentes;
Sic etiam, quos, cum ferret, promittere nosti,
Morigeris, legem, facilis præstabit amores.

XI. ROMANUS Teller / Lipsiensis.

Tristia per natos vivunt post funera Patres.
In multos igitur, Chare, enarrabis honores
Summi Electoris, Sobolem virtute relictam
Excelsam, patriæque alacrem vestigia vitæ
Fervore accensam magno, *TELLERE*, sequentem;
Quod multo inductus raptum mœrore Parentem
Egregiis reparas, ut fas est, rebus Avumque,
Obscuris gentem revocas cryptisque sepultam.
Prima tibi exhibuit *Niclai* elementa verendus,
Wahrenses spargens divino rore Sacerdos;
Mox *GEBAUERUS* Lenæus, Bresla, Tuorum,
Ziegkiadesque, suam cui mandat Torga juventam.
Erigit in patrios magis ast Academia nifus;
Afferret facili seu *Knorrius* ore Mathesin,
In monte Euclides nunc florentissimus albo;
Schwertnerus docta seu diceret Entia voce
Commisso ad regna greges nunc cœlica ducens:
Seu clausos vellet naturæ aperire recessus
Spenerus: populos varios seu voce diserta
Et comitis *Grosser* monstraret flectere verbis;
Seu Pindi dotes attento funderet omnes
FRIDRICI, hos lapsos Tibi doctor quinque per annos,
Imbibitaque implens sitientem Pallade mentem.

Quid

Quid *Seligmannum* Sophies Tibi pandere dicam
Tradita? divitiasque Tibi vulgare reclusis
Fontibus historicas, cives artemque regendi
Sistere *Menckenium*? quid jus tibi tradere sanctum,
Schwendendörfferum, Mylium, Schreiteriademque.
Imo omnes, servat florens quos Lipsia, jactas
Ad veteres pectus Doctores fingere laudes.
Et recte! Ecce locos jam prenderis ipse relictos,
Cumque ad perceptas adjungas munera leges
Eusebies, proprio nutu monitisque paternis
Impulsus, vates referes simul arte Themistos
Patrem, notitiâ diâ indelebile Avumque
Lumen, perficiesque unus laudandus, Abramum
Romanumque urbi Telleros vivere nostra.

XII. JOH. CHRISTIANUS *Wonne*
Dam. Saxo.

INsignem gratâ laudamus mente salutem,
Electo nobis quam conciliavit adeptus,
Donec erat, cunctas, visum est, recreasque terras,
Seu charum aeterno complevit nectare pectus,
Addicta affluerent seu fluxis corpora rebus.
Hanc rem, *Wonne*, Tibi scribas mandabit Apollo,
Et quod res spiras cunctis cognomine faustas,
Et quod cum gratis res verbis convenit ipsa,
Egregiisque bonis animi, candoreque morum,
Utilitate probas Te terris prospera posse
Quondam exoptatâ præstare locosque beatos,
Fons erat ipse *Pater* charus, materque bonorum,
Quem mox *Stichiades* patrii *Hublerusque* Lycei
Urgent, Luccensisque Scholæ duo fulcra, benignus
Hampusius, *Zimmerque* bonus, queis Dresda *Bobemum*
Subdit & *Egnolphum*, Rectores morte peremptos,
Merbitiumque artes Euclidis pectora doctum.
Sed dat plus oculis cultis *Witeberga* videndum,
Quæque Sorori addit paribus se Lipsia donis.
Quid non *Granniades*, *Kirchmaierusque* docebant?

E

Quidi

Quid



Quid non *Calovius, Quasted, Deutschmanniades* que?
 Quæ non ex *Sophicis Cyprian* dent *Menkeniusque,*
Pfautzius? Eusebies quæ non conclusa revelent
Scherzer, Carpzovius, Lehmannus, Mæbiades que?
Albertique, Oleariades, Schmid, quique peritum
 Dicendi ad populum faciunt, *Rivinius, Habnque;*
 Et *Stephani,* adjiciens & opes *Pfeifferus* Eoas.
 Hæc facis: Ipsa Salus sed adest, res inque futuras
 Sollicitis animum solvens & pectora curis,
 Cede metus, dicit. Sunt quorum commoda porro
 Expectata operis fas est effundere in orbem.
 Viso velque focis *Wonne* hoc benè fecero sanctis.
 Et rata vota facit. Lapsis Illustris ut annis
Schlomach, Bexque favet, *Themidos Birnbaumque* sacerdos;
 Sic *Oleariade* nunc pergunt, Principis Alpha
 Saxonici *Augustus* mystarum: Sceptryger ut vult
 Dux, fax *Christjanus* rerumque Tibi, Hala, sacrarum.

XIII. JOH. DAVID Schreber / Misenenfis.

Scriptores Scriptor referes. Cum nomina scribam,
 Si pauca excipies, designent, laude juvabit
 Notitiâ *Schrebere,* viros virtuteq; plenos
 Consiliisque Tuam solitâ proferre *Thaliam,*
 Quorum operis Princeps firmavit sceptrâ dolendus
 Imperii, seu cauta domi prudentia causas
 Tractaret varias, regeret seu prælia facta;
 Consultum ipsa vocat præstantis nomine scribæ,
 Qui regum versat res, quod Scriptura Senatû
 Quin propriis facias exemplis ipse juberis.
 Suadenda incepit quondam tibi *Wilckius* ore
Kirsteniusque Tibi *Jüngerg,* afferre diserto,
 Clara Misenenfis Doctorum concio Pindi,
 Ensiseri auspiciis per plurima tempora fausti,
 Sisteret ut, quorum curis & jura timeret
 Turpe nefas, vanas & tecta Ecclesia sectas
 Tolleret, & dulci florent pace penates.
 Inceptum consummat opus Philurea bonorum
 Consiliorum ingens mater, fons, venaque dives.
 Cum *Selgmannô* Tibi dant hoc sine *Minervæ*

Cor

Cor doctum *Alberti*, *Suadæ Schmidiusq;* medullam:
 Historicos *Ittig*, *Rechberg*, & *Mencke* recessus,
 Seu sacra expeteres cognoscere sive profana;
 Lux cœli imprimis nova *Fellerusq;* Poëtas,
 Consiliis factos homines per carmina dandis,
 Mœonidem ducibus lectum, lectumque Maronem.
 Sed magis erudiunt cœlesti Numine scripti
 Quæ posuere libri, sensus rimantibus altos,
 Quis divina, viris, meliores Curia nescit,
 Nil nisi quique *Oleas* dulces, ipsamque *Salutem*
 Rebus sic exoptatis, ut voce ministrant.
 Nec sine sperato sumfisti tradita fructu.
 Jam prospexisti Tibi; prospiciesque futuro
 Ulterius populo; simul ut tua munera possis
 Prodere, quis opus est, Tua fortunante, Patroni
 Efficient studio, seu Numinis ipsa pararit,
 Quæ porrexit opes, tibi sic Sapientia sedes.

XIII. JOH. GABRIEL *Mittwoch*/
 Bonfidelia Francus.

A Patria Elector truculentos arcuit hostes,
Mittwoch, illataque mala ne fraude jaceret
 In cineres conversa meros, miserisque ruinas,
 Effecit, vires properans opponere fortes
 Perfidia, simul ut violato fœdere turpi
 In triste exitium sensit venisse, nefando
 Borbonium Regem ducentem more cohortes.
 Verborum facta hæc sint argumenta tuorum.
 Datque etiam pretium Tibi libertatis Apollo.
 Spem primam puero *Scherzerus* avunculus affert.
 Conciliant posthæc, quos Bonfidelia verbi
 Lumina nunc jactat, templi laudatque ministros,
Pertsbius egregio sacri caput Ordinis ore;
 Et *Wobnius*, clarus *Metzgerusq;* arte canendi,
 Junctusque *Ottoni Geierus*. Nomine Thomæ
 Continuavit opus non plane incognitus orbi
 Ludus, Lipsiacus, *Thoma* Rectore Lycei,

Starckiada adjuto, Ernesto *Leipnütziadaq;*
Schelliada & numeris: queis se *Stübelius* addit.
 Servitii depulsores Zittavia monstrat
 Mox alios, summi nitidissima pectora *Weissi*
Curtiadem, *Mirumq;* suum. Sed mens Tibi libera facta est
 Tum plane, egregios cum dat Philurea Magistros,
Redelium Musis charum, charumque *Fridricum*,
 Grataque *Marquartum* Phœbeis munera templis
Grosserum dantes, *Meisterum* mente fideli
Steinbrecheriademq; bonos. Sed prima merentur
Alberti, *Schmidius*, *Cyprian* loca, *Menckeniusq;*
Hesbusius, *Rechbergerus*, quique omnia præstat
Carpzov, *Rivinus*, largus *Guntherq;* Patronus.
 O quis mancipium tor servatoribus esset!
 Postque etiam liber vives. Quo vindice possis,
Barthius ostendet, conjunctaque sanguine *Conjux*,
Scherzeri prognata satu; *Albertiq;* verendæ
 Delicium Eusebiæ; Soceroque simillimus *Hospes*;
 Dresdensi felix *Niclai* Baldus in urbe;
 Teque bonis dapibus gens *Findkelleria* pascens.

XV. CAROLUS CHRISTIANUS JUSTUS, Zittavia Lusatus.

P Rincipis audierat cantandas tradere laudes
 Phœbum, mente magis juvenis quam voce vocandus
Justus, & accensus, quos & deberet, honores
 Præstandi studio: faciendis jussibus, inquit,
 Ecce tuis etiam me cernis Apollo paratum,
 Officiisque Tibi per vitam mansero vinctus,
 Justitiam liceat mihi si describere sanctam,
 Principe quâ nunquam memini quid clarius esse.
 Ipsaque res fuerit nostris aptissima gestis.
 Nomine compellor *Justi*: Natusque Parente
 Præsede Justitiæ, propriis exempla Magistris
 Jam didici justis firmare domestica factis.
 Quod fas jusque esset, facerem sano ore monebat
 Primum *Edelmannus* bene nobilis arbiter æqui.

Jusse.

Jusserat & *Mirus* rerum verissimus autor,
 Quas monitis pulchris præstat Zittense Lyceum.
Weiffiades que loci Rector Prætorq; timendus.
 Tendenti ulterius menti sed plura dederunt
 Lipsia quæ jactat, seu mores frenet iniquos,
 Ut natura urget præceptis integra honestis;
 Justitiam fidei, seu Justitiamque salutis,
 Fontibus exhibeat longe melioribus haustam,
Albertis promissis rerum *Schmidis*que bonarum
Seeligmanniadis post hos *Guntheriadis*que,
Grosserisque, Diis cunctis laudantibus ausus,
 Arbitriò Mundum juris quicumque gubernant.
 Dixerat. At precibus fufis subscribit Apollo,
 Subjungitque: Habeas. Nec rem sine munere nostrò
 Præstiteris. Corelum Themidis Pater ipse favebit,
 Ut cœpit; meritis commotaque Curia Patris;
 Numina quæque regunt augustum summa Senatam,
 Sincerò Astræas complexi pectore multas
Stollus, *Hartigiusq;*, urbisque *Gerisus* Atlas,
 Cum *Seeligmanno* Baldo; Prætorque *Nesenus*,
 Et simili officiò legum adstans *Capsius* aris,
 Lipsiaca *Albertum* quibus ardens addet amore
 In Zittam Pallas, Themidi junctissima Diva.

XVI. MICHAEL MULLERUS,
 Martisburgensis.

P Rincipis expendes victum, *Mullere*, paratum
 Curis, depulsamque famem, quæ corpora vexat.
 Sic Tibi sufficient per vitam & commoda cuncta,
 Seu mens exposcit, ratio seu carnis habenda.

Fundamenta locant rebus ponenda Magistri,
 Quos Schola suppeditat Tibi, quos Academia fidos.
Weissenfelsensis primos per scamna Lycei
 Vitæ in spem certam melioris transigis annos.
 Mox Augusteum majores exhibet auctus,
Leisthenio studium Pindi Rectore juvante,
Riemeroque, bonis iter ostendente per orbem

Nunc dio ad cœlos & multa pericula verbo ;
 Tunc lingvæ numeros tradente artemque loquendi:
 Et qui porrectis divinis mentibus escis
 Pegaseos latices gratus Gurbierius, ipse
 Immiscet multo bene pectora nectare potus.
 Demum at vera fuit tibi Lipsia copia rerum,
 Effundens pleno dona optatissima cornu.
Hardtadem adducis primum. Laudare favorem
 Post hunc instituis, qui sit Tibi causa salutis
 Prima, *Seligmanni*; *Schmidium* te fonte rigasse
 Multiplici memoras; *Reckbergerumque* benignum
 Et dapibus Græcis, & quas det mensa Quiritum;
Jungis Menckenium, quem toti pabula mundo
 Mittere si dicas, probet experientia verum
 Judicium, inque fidem tot se producere testes
 Affirmet, licuit libros quot nosse recentes,
 Gallia quos prodit, quos Anglia, Svecia, Roma,
 Et quicumque suos doctos vulgaverit orbis.
Fellerum ambrosia cœli quid prædicem alendum
 Cœnisque æternis? Et quid mortalibus addam
Albertum, quæ Feller habet, spe dona ferentem,
 Doctoremque, animis *Oleis* qui dulcior ipse est?
 Cur non his operis rectè primordia cedant?
 Tempore sed venient fructus resque ipsa futurô.
 Illustris cupiat mecum hoc *Stammerius* Heros,
 Quique Tuis semper præsto est *Weisbrodtius* orsis.

XVII. JOH. LAURENTIUS Weidner/
 Barutho Francus.

Mortem Electoris scribes, *Weidnere*, beati,
 Non quod Te credam simul occubuisse peremptum;
 Sed quod vita tuam recreat dulcissima mentem,
 Et dare cuncta potes melius, quod stantia parte
 Res ex adversa occultas contraria clarant.
 Vivere te primum, præstat doctrina *Parentis*.
 Succedunt operis his *Heilbronnensia sacra*,
 Brandenburgiacis multum florentia curis,

Per

Per *Gmeinbaradiadem, Stubnerum, Krebsiademque.*
 Cœptum urgent post hos patrii gratissima Pindi
 Lumina, *Lauerus, Waltherus, Rentschiadesque,*
 Susceptor, Genitorque alter; clarusque vocandus
 Ipseque fons vivus *Fickscherus*, parque favore
Hagenius, donisque datis; *Lairziadesque,*
Ræferque historiam dantes & gesta per orbem,
 Gallorumque docens *Mayerus* verba peritus.
 Sed non est, potius quo quisquam vivere discit,
 Quam quo viventes Tibi spargit Lipsia Pindi
 Sive undas fluviis venientes, sive Sionis.
 His igitur cupidos animos post fontibus implet,
 Vix fat laudandis, qui dulcia pocula fundunt,
Steinbrecheriada, Ludovico, Dicelioque,
Alberti, Cyprian, Gunthero, Menckenioque
Seligmanniada, Rivino, Carpzovioque.
 Quis sic felicem dubitet te vivere vitam?
 In patria meliora ferent sed tempore lapsa
 Baro, boni magnus Tibi, *Wolzogenius*, autor,
 Gloria prima loci, sancti Præsesque Senatus.
 Confiliisque Ducis divinis Numina summi,
 Et vita Astrææ, vita Eusebiesque verendæ,
 Principis arcanas res servans pectore fido,
Luidike, Franckiades simili virtute notandus.
 Magnum *Drechslius* sacra quem prudentia reddit.
 Staud Themidos fulcrum, fulcrum *Fickscheriadesque*:
Schöpfius atque *Hagen, Pertschque* adstans primus ad aras.
 Ipseque. Sed quid Musa audes? Proh fata, quod Aula
Steinbofferiadam tollunt quoque morte Nathanem!

XVIII. JOH. JACOBUS *Pittsch*
 Sora Lusatus.

Multa juvat Princeps, patriâ si sede relicta,
 Quid faciant alias gentes invisit ad oras,
 Plenum seque refert ad publica commoda rebus.
 Quod sine hoc Venetas *Heros* mox viderit arces,
 Et mox ad Batavas ereptus venerit urbes,

Palla-

Pallade descripto, *Pitschi*, fac carmine pronâ,
 Et poteris. Multis conspectis ipse Lyceis
 Ob scitas etiam perhiberis doctior artes.
 In ludo patrio *Müllerus* *Prinzque* docebant,
Prætorque ante alios & *Rösner* pectora chara.
 Valentem ex Sorâ peregrinum Bresla recepit.
 Multa hîc nosse licet; *Gryphii* sive ora placerent,
 Et *Kuppbenderi*, *Titii Poblisque*, benignis
 Quos *Magdlenæ* manibus fovere *Camœnæ*;
 Seu *Lisbethanus* peperisset commoda menti
 Non leviora favor post hos, doctore *Acolutho*,
Majore, *Hanckiada*, *Begeno*, *Vacciadâque*,
Krantziadaque omnes multô vincente favore.
 Lipsiacus visis his quærebat *Apollo*,
 Ut caperes, *Sophies* quæ tradere mysta solebat,
Eusebiesque pius laudando ardore Sacerdos,
Carpzovius, *Schmidiusque*, *Alberti*, *Oleariadesque*,
Rivinus, *Cyprian*, *Selgmannus*, *Diceliusque*,
Guntberus, *Marquart*, *Müller*, *Grosserque*, *Lycei*
Altenburgiaci qui scepra accepta gubernat,
Hungariæque decus *Krumpholz* venerabile terræ,
 Verbaque *Christjanus* verporum tradere callens.
 Hoc agis. At nondum fatis est; Jenam que profecto
 Divinum infundunt *Velthem*, *Sophiesque* liquorem
 In pueros studiis notus *Weigelius* orbi,
 Et *Phœbi Schmidius* vir devotissimus aris.
 Quem non tot rerum facerent loca visa peritum?
 Ast in sperandos convertet *Rothius* usus
 Mystrarum Patriæ, Princeps, similisque putandus
Kloesel *Jauroviæ*: *Fritsch* *Soranusque* Minister;
 Et quos mater habet fratres, *Ledelius unus*
Astrææ, *Divæ Symmysta alterque* medentum.

XIX. JOHANNES HENSELIUS,
 Lignicio Silesius.

Ipse quidem fatis, *Princeps Celsissime*, cedis,
 Conderis exuvias parvo tumuloque relictas.

Immor-

Immortalis erit sed rerum fama superstes,
Nomenque egregiis jaçtabunt sidera partum
Factis, durabunt dum res, devolvere fluctus
Saxonicaque potest Rhenus virtute redemptus.
Post mortem oblatos tantos cantabis honores,
Henseli. Meritis clarissima nomina spondet,
Servos perpetua vita qui maçtat, Apollo.
Nec sine causa addet claris tua lumina stellis.
Fecisti à puero, Pindo quæcunque placebant,
Inter lucentes fidos, velut astra, Magistros,
Egregiosque viros augentes rebus honestis.
Quem fugit *Heermannus*, fingendi nobilis arte,
Et patrii fulgor ludi, luxque inclyta lingvæ
Teutonicæ, verumque decus, prælustreque sidus?
Quis de *Maywaldo* cessabit dicere docto,
Dum Studiis constabit honos, & gloria vera.
Hocque magis mundus veniens præconia solvet
Herwigio, solus quoniam post fata priorum
Ligniciam format, doctor primi ordinis unus,
Et tenebris arcet prudente labore juventam.
Sed tibi causa novi post Lipsia fulget honoris
Sublimi feriens Academia vertice cœlum,
Pectoribus famæ doctis hoc apta struendæ,
Quod multos servat dudum per sidera notos
Et radios claræ spargentes lucis alumnos.
Quos & devotis studiis complecteris omnes,
Inprimis *Schmidium* res dantem ut, fama per orbem
Quas ferat, assidue; Tibi sic loca clara parantem.
Nec sine successu! Primorum en prima laborum
Præmia nunc veniunt, majora datura volenti
Theilogenicis Studiis attentam tradere mentem,
Quæ non tam sequitur mortali didita voce,
Numinis æterni quam condita sede, locisque
Perpetuo exhilarans divinis sole receptos,
Intuituque Dei salvandos Gloria complens.

F

Desi.

DEsierat dicenda novis mandare Magistris
Phœbus, & acceptis fertis bona cuncta precatus,
Utqve in divinos succrescat laurus honores,
Justitiæqve decus, propriisqve in commoda rebus,
Ad Dominum, desit ne factò gratia, versus :

Facte recens, inquit, per clara palatia cœli,
Dive, æternarum Possessor maxime rerum,
Qvos Tibi sic dedimus, viles ne spernito cultus,
Ex Tibi devota veniunt hæc carmina mente,
Non meliora diis contingit tradere parvis,
Siquæ canat gestas res, donat maxima Phœbus,
Imo ita perpetuò durabunt nomina mundo,
Proqve tuis meritis Tibi debita præmia poscent.
Nec deceant ut Te vulgaria dona, verendum est.
Ipse Deus tali placatur munere summus,
Siquæ homines, gaudet, se dicere versibus audent.
Deniqve non sine Te fas vivere, siq; carendum
Ipso, isto luctum patiare levamine tolli,
Ut, semper liceat de te quid dicere Musis.

Dixit, dumq; hominum solita ad convivia passim
Expulsura famem contendit turba sitimq;,
Ipse per exstructas delectamenta relinqvens,
Quæ veniunt mensas, sÿveta sibi sede recumbit;
Dumq; suo indulget mœrori, ex rure videntur
Advenisse duæ, lacrymis nova pabula dantes,
Et falsam in tanto spem flentes Principe Nymphæ.
Vna effert, Dominum velut exceptura fuisset
Regiæ ad incolumem dilectæ tecta reversum;

Altera

Altera festinata nimis data gaudia damnat,
Audit ut haud vivum reducem, sed morte peremptum,
Quæq; prior fata est, mutat moestissima lætis.
Ambæ tradiderant dicta argumenta Trochæis.
Verbaque, si rectè memini, sic prima fluebant:

Gaudiis complete pectus ob reversum Principem.
Qui fugandis ingruente vere venit hostibus,
Nuncque Martios ineptis ad labores mensibus,
Cum relicta invisit Aula Conjugem celsissimam,
Cives pectorisque charos intimis recessibus,
Ut sic justa membra fessa reddat intermissio,
Post accepta magna damna, summa post pericula,
Quæ dedere dimicantes mente Galli perfida,
Auxit & Morbona multo sæviendo funere.

Gaudiis complete pectus ob reversum Principem.
Magna facta qui novavit & quæ gessit antea,
Cum Vienna clausa passim Thracicis cohortibus,
Jam Tyranni cogitaret Bistonis submittere
Colla moesta postulatis, impiisque legibus,
Ecce Princeps excitatus maximo infortunio,
Quanto, firmus ipse, fas est, adfuit cum milite,
Atque foederatis junctus adductisque copiis,
Oppidum à sævo hoste fortis, Augustumque liberat.

Gaudiis complete pectus ob reversum Principem.
Magna pergit in labore mente pro Germania,
Illatamque contra jura vim repellit Galliaë,
Primus arcet irruentem strenuo hostem exercitu,
Prædas impeditque, raptus, furta, cædem, incendia.

Mox nefandam servitutum depulit Moguntia.
Mille fraudibus trahentem post moras compescuit.
Hocque constat anno fortis actis rebus antea,
Pristinamque patriorum finium dat vindicem.

Gaudiis complete pectus ob reversum Principem,
Imperator laudat ipse præstita immensa fide.
Inde Rhenum dattuendum cognitis virtutibus.
Dumque Cæsaris cohortes asserunt Sclavoniam;
Dumque Scaldim, dumque Sambram, Rex habet Bri-
tanniæ;

Duxque Vilsæ fudit armis tutior Sabaudicus;
Occidentis sceptrigerque par & Eois Getis;
Mœnus Saxonis per enssem tela spernit Gallica,
Rex ut artes spiret atras & venena Colchica.

Gaudiis complete pectus ob reversum Principem.
Vincit, etsi Morta sævit, ægrotantque milites,
Sustinetque bella firmus, quanquam debili manu.
Cadmus Europamque quærens, ut struit Boeoticas
Thebas, faucibus Draconis fidus ut cadat comes;
Indagare sic dum cura magna raptam patriam,
Inter extremos furores vimque sævam febrium,
Quæ trucis serpentis instar inferebant vulnera,
Ipse sedes dat futuris non movendas civibus.

Gaudiis complete pectus ob reversum Principem.
Prisca stirpis nunc videtis maximæ vestigia
Invenire, Majorumque res verendas persequi,
Quando pertinax servatur Imperatori fides,
Quando vincuntur Bohemi, Pannonese perfidi,

Atque

Atque rebus invidentes prosperis Galli Austriae,
Sive nomines Fridrici bellicosa nomina,
Albertive plena magno spiritu praecordia,
Albertive des Nepotem Martium Semptemvirum.

Gaudiis complete pectus ob reversum Principem,
Cum Parente magna facta praestitere Filii,
Summa laude stirps ferenda, digna stirps praeconiis;
Seu quod a Parente magno summa juvit discere,
Spectanturque pullis bella Patris alitis Jovis,
Continentque, quae sequuntur, castra Titos Flavia;
Seu quod in vigente sumunt flore digna Principe,
Thermæ sicut ardens Cæsar urget contubernium,
Instat imminenti Iberis Cæsarique Octavius.

Gaudiis complete pectus ob reversum Principem.
Praesto est, quando junctus orbis jactitat victorias.
Ipso Thracicas cohortes cædit & Vezirium
Marte fortior Badensis vi dux & scientia,
Quæque misit, reddit Ister, cum cruore Thraciæ.
Obstinos calce Jerna stratos calcas incolas,
Missas inseritque turmas ense concidentibus,
Principem in suum movendis subditis a Francia.
Spesque magna vindicandæ fulget & Sabaudia.

Gaudiis complete pectus ob reversum Principem
Gaudent astra, gaudet terra, gaudet Æther & Mare.
Gaudet Imperator ipse, gaudet Aula splendida,
Conjux gratulatur celsa, gratulantur subditi,
Numen & sanctum verentur supplicationibus,
Et solenniter peractis templa complent gratiis,

Plura ac mille faustitatis apprecati commoda,
Totque Principi salutes, tela quot Vulcania,
Hosti prorsus & fugando comparantur fulmina.

Gaudiis complete pectus ob reversum Principem.
Post tot fusa vota ruris turba supplex advenit,
Exque tuta sede tanti Principis virtutibus:
Monstra diis abstulisti multa, dicit, viribus.
Herculi sed victa post se semper attrahunt nova,
Cumque favos dent labores fata ceu Saturnia,
Iusta Numen quod tuetur, instar adjuvet Jovis.
Ficta sed ne nominentur vana nobis Numina,
Israëlis Te gubernet quæsumus protectio.

Gaudiis complete pectus ob reversum Principem.
Sic prima. At post hanc mox altera mœsta locuta est:

Luctibus complete pectus ob cadentem Principem.
In dolores exoptata se vertere gaudia.
Quem regressurum valentem spe vovemus optimâ
Post inflicta magna sævis damna Gallis & mala,
Visurumque cum triumpho Conjugem Celsissimam,
Ut fugandis ingruente Vere venit hostibus,
Magna mente par labori, corporisque viribus,
Hunc acerbâ raptum morte fracta plorat patria,
In suum mundi pudorem flens vicissitudines.

Luctibus complete pectus ob cadentem Principem.
Finiuntur magna facta tutamenque deficit.
Qui frenare, desinente, vim valebat, vindice,
Pessimi ferociores Spiritus Getæ gerunt,
Gallicas suggestiones audiuntque flexiles,

Ante

Ante delatamque nobis sponte pacem respuunt.

Jamque fata coepit Buda cogitare tristia,
Grandis & vienna motu concitatur Thracico,
Ne, verens, petita rursus servitutum sentiat.

Luētibus complete pectus ob cadentem Principem.
Exspectare nunc minora quam spes, Rhenus incipit,
Seque Galli perferendis destinat furoribus.

Quippe non est, irruentes qui repellat copias,
Non qui tollat ignes, furta, non est, qui supra arceat;
Non exercitu obsidenda forti solvat oppida,
Mille non moras trahentem fallat hostem fraudibus,
Non pius qui vindicandæ consecret se patriæ,
Qui, ne vis iniqua vastet, ipse promptus occidat.

Luētibus complete pectus ob cadentem Principem.
Cæsari sic prædicandam maxime præstat fidem.
Qui videns hosti tremendam Principis magni manum,
Dum suis dat asserendam copiis Slavoniam,
Dum tegit pressas Sabaudus, Anglus & Provincias,
Fines credidit tuendos Saxoni Germaniæ,
Cujus obsequens paratus magnus Heros jussibus,
Pro salute promovenda Spiritum ponit suum,
Usque fata perque mortem Cæsari fidus manet.

Luētibus complete pectus ob cadentem Principem.
Marte succumbit furente, Marte sed tutus tamen.
Ense non perit fulgente, non telis volantibus,
Summissa sed à supremo morte morbo Numine,
Per charos simul Morbona sæviit dum milites,
Gallicas æger cohortes sustinetque fortiter,

Theba-

Thebano magis Polymni gloriosus Filio,
Occumbente fastuosa perdita Sparta quidem,
Ferro sed malo retracto de profundo vulnere.

Luētibus complete pectus ob cadentem Principem.
Pro suis sic par habendus cedit occumbentibus;
Ultimum seu civitatis Palladis Regem velis,
Nobis seu notes Avorum Martium miraculum,
Albertina ex stirpe primum nobilem Septemvirum;
Sive, ut multa Roma monstrat Principi communia;
Morte dimovisse credam sic venena noxia,
Defultu ferunt ut atram Curtium in voraginem
Extinxisse proferentes civibus pestem halitus.

Luētibus complete pectus ob cadentem Principem.
Oppetit mortem, Magistro quo licebat discere,
Patriis quid irrigandis commodis conduceret
A malisque protegendis obfuturis finibus,
Nunc praecepta nunc exempla dante commonentia,
Sive miles recta vellet exequi gregarius,
Seu dux ipse, magno nata seu stirps lumina sanguine,
Firmant ut Patrem secutos castra Titos Flavia,
Caesarem velutque Thermæ traxit contubernium.

Luētibus complete pectus ob cadentem Principem.
Inter Heroas reliquit vita corpus nobiles,
Dumque morte maximorum vincimus tristi Ducum.
Sanguine ex quibus cruentos mors peremit Pannonas,
Extorquenda quando Turcis maxima est victoria
Filios dolet ruentes grandis & Britannia,
Jernarum ipsa quando fervet occupandis urbibus,
Ordi-

Ordinare pacatisque regna gestit terminis;
Fœdus & claro cruore fluctuans manat Padus.

Luctibus complete pectus ob cadentem Principem.
Lugent astra, luget terra, luget æther & mare,
Luget Imperator ipse, luget Aula squalida,
Conjux mœsta profert Celsa, mœsta dicunt subditi,
Et manu foedant capillos, luctibusque pectora,
Et solenniter peractis templa complent planctibus,
Fletibus tot excitandis apprecati flumina,
Turgidis quot Auster affert guttulas ex nubibus,
Quotque Pontus proferendis subdit undas fontibus.

Luctibus complete pectus ob cadentem Principem.
Post tot mœsta Nympha facta præsto stat solemnia.
Ultimòque profecuta sacri honoris pignore,
Coeli gratulatur læta nunc suscepta gaudia,
Magna præmia ut labores consequantur Herculis;
Nomen & JANI GEORGI pulchra jactent Sidera,
Ossa cryptis comprecata clausa fervet patriis,
Dans quietem somnus altus, lacteas spargens rolas,
Narcissosque, duratura pollicens præconia.

Luctibus complete pectus ob cadentem Principem.
His ergo auditis stupefactus Apollo querelis
Obticuit, docto nil præcepturus ut ore
Calliope exponat Musis, dum júbila luctum
Amoveant, versusque velit prosperrima claudi,
Orbis ut expectat, spondetque acerrimus Heros,
Successor Patriâ summus virtute futurus,
Pet. multa excelsis florens & temporarebus.

G

Ænig-

Argumenta laudum,
quas in Electorem singuli Magistri
conferunt.

- I. Summarium dicendorum.
- II. Stirps.
- III. Educatio.
- IV. Liberatio à peste.
- V. Conjugium.
- VI. Conservatio doctrinae orthodoxae.
- VII. Bella.
- VIII. Affectus singularis in Serenissimum
Principem Weissenfelsensem.
- IX. Fides erga Imperatorem.
- X. Obsequia erga Parentes.
- XI. Serenissima Stirps relicta.
- XII. Salus subditis parata,
- XIII. Consilarii prudentes & fideles.
- XIV. Franconia à Gallis liberata.
- xv. Justitiæ studium.

XVI.

XVI. Rerum ad victum necessariorum
abundantia.

XVII. Mors.

XVIII. Itinera.

XIX. Gloria post mortem.

Irrepere Sphalmata iterum iterumque. Inter extantiora sunt quod
p. 2. l. 24. fere positum est pro fero p. 6. l. 8. Lipsiades p. Lipsia sedes p. 24. l.
4. Seeligmanniades pro Selgmanniades. Cætera in tanta festinatione opera-
rum non notari & ne videri quidem, præcipue in ultimis plagulis potuerunt.
Ut excusata igitur habeat B. L. etiam atque etiam rogatur.

XVI.

**Ænigmata in Examine Jocofo
proposita.**

I.

*Rex est, qui Christi malefactis nomina tollit.
Quæ causa est, similis cur homini esse velis?*

II.

*Fædum equidem, si Te spectem, spirabis odorem.
Sed, si quid tollas, mundior esse potes.*

III.

*Est animal, quod si spectes à parte priorè
Ursum, sed corvum posteriore voces.*

IV.

*Est mihi, qui poterit venerandus Apostolus esse,
Est etiam, hospitium quem dare posse putes?*

V.

*De terra atque mari quid dicere & æthere ludens
Si placet, haud dicas, quæ, mihi nota, velis.*

VI.

*Si quis Te videat, quantum primum esse putabit:
Si Te convertat, qualis at esse potes.*

VII.

VII.

*Angelicis rebus recte ajunt competere ævum.
Sed cur tu credis tempus habere suum?*

VIII.

*En Rex Borbonius dat vulnera more latronis.
Vulneri at est oleum dans quoq; lene Tuo.*

IX.

*Est terrere velit qui grandis mole gigantis.
Ipse at, vel funda qui mala pellat, ero.*

X.

*Tradere in exitium Romam non miror Abramum.
Romanus, mirum est, tale quod urget opus.*

XI.

*Verfo te multum. Sed nil potes integer esse.
Orbi ergo mutilus jungere mensa tuo.*

XII.

*Principium finemq; adimas, Pastorq; fereris,
Seu servire decet, pascere sive gregem.*

VII.

G 2

XIII.

QX 7c 5364

XIII.

*Sani apparetis cuncti. Lunaticus ast qui
Morbum vexantem condidit, unus adest.*

XIV.

*Sufficitis vobis. Sunt tres, qui pabula præbent,
Et tecta artifices, membraq; veste tegunt.*

XV.

*Ut studiis fidei constemus, Christe, requiris.
Quis vestrum exemplum det mihi, ferto, rei?*



XIII.

C 2

107A

ME



Ang
En
ER
?
T
V
P
M

ULB Halle 3
004 826 159





h. 41, 30

Vc
5364

PAREN
PROMOT

ALIA
PHICÆ

die V. Ca

.XCII.

M.J

ESTI;

